

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

ORDINATIONES

AD CONSTITUTIONEM APOSTOLICAM "VETERUM SAPIENTIA" RITE EXSEQUENDAM

CAPUT I

NORMAE GENERALES

Nota redactionis. Ordinationes ad praecedentem Constitutionem rite exequendam proemio praeceduntur in quo S. Congregatio ait Ioannem XXIII Constitutionem Apostolicam "Veterum sapientia" sollempni ritu die 22 februarii sua ipsius manu subsignavisse in Petriana Basilica.

Nemo equidem ignorat latinae linguae instaurationem esse rem difficultatibus et laboribus plenam, eoque minus Sacra Congregatio quae iam de hac re Epistolam ad locorum Ordinarios die 24 octobris 1957 scripserat (AAS-50-1958, pp. 292-296). At vero non difficultatibus vinci, sed eas vincere vita fidesque christiana nos docet: his praesertim temporibus quibus, per Concilium oecumenicum Vaticanum II, ad christiani populi unitatem roborandam Ecclesia laborat.

Historia quidem constat latinam linguam pluries iacuisse at rursus floruit semper renovata, quod eam Ecclesia quasi commune patrimonium strenue defendit atque sustentavit. Ita, post merovingiam barbariem magis etiam quam nostra aetate iacuit, insurrexit tamen saeculo XII, et saeculis XV-XVI renata est et elata perfectissima. Potest ergo etiam nunc instaurari si debitum huic studio tempus tribuatur et si ratio docendi ad veterum morem accedat ita ut usus loquendi scribendique latine comparetur.

Igitur ad latinae linguae instaurationem plene et officaciter consequendam sequentes Ordinationes S. Congregatio tradit easdemque religiose servandas praescribit:

ART. I.—*De rationibus studiorum singularum gentium ad normas "Ordinationum" accommodandis¹.*

§ 1. Cum variae studiorum rationes in singulis gentibus earumque ecclesiasticis scholis vigentes, interdum, quod ad latinae linguae studium attinet, impares sint ad plenam huius linguae scientiam et usum consequendum, vario modo erunt, ad normas ab his Ordinationibus constitutas, accommo-

¹ *Const. Apost.* n. 8 (p. 135 iuxta edit. A. A. S.).

dandae, ut plene finem assequi possint neque ulla detur excusatio de non obtento proposito.

Partim igitur cedat oportet publica studiorum ratio, si componi nequeat cum plena et propria studiorum ecclesiastici viri institutione et cum ea in latina lingua formatione quae a Constitutione Apostolica et Ordinationibus in omnibus sacris administris requiritur et praecipitur.

§ 2. Ut hae Ordinationes fideliter serventur, atque ut vigentes in singulis gentibus studiorum rationes ad easdem rite accommodentur, uniuscuiusque Nationis Episcopi quibusdam peritis viris hoc munus committant ut, pro locorum adiunctis, una eademque sit, in eadem Natione, huius studii ratio, utique Sacrae Congregationi recognoscenda et probanda.

§ 3. Cum vero in fideli Apostolicae Constitutionis et harum Ordinationum executione, primis praesertim temporibus, variae pro locorum temporumque condicionibus oriri possint difficultates, Sacra Studiorum Congregatio peritorum Coetum constituet, cuius auxilio eas ad mentem Constitutionis et Ordinationum solvet, dubia definit, responsa et consilia dabit, totamque huius rei executionem prosequendam curabit.

ART. II.—*De Latinae linguae magistris*³.

§ 1. Quod attinet ad linguae Latinae professores in scholis inferioribus et mediis seu humanitatis quas vocant (atque in scholis celsioris ordinis —Seminariis Maioribus et Facultatibus Ecclesiasticis— pro peculiaribus cursibus de interpretatione SS. Patrum, Theologorum, Documentorum Ecclesiae), primum et omnino requirendum est, ut hi apti ac periti in hac lingua sint debitique praediti paedagogicis dotibus, cum ex ipsis procul dubio pendeat pars maxima felicitis exitus huius institutionis.

§ 2. Antistitem igitur Moderatorumque cura sit eos clericos tempestive deligere, qui ad hoc munus aptiores propensioresque videantur, ac de iis probe formandis parandisque sint solliciti, ut sunt de ceterarum disciplinarum professoribus.

§ 3. Semper in magistris designandis non quantulumcumque, sed peculiaris huius linguae scientia in eiusque usu peritia requiratur.

Quam ob rem antequam docere incipiant, debitam doctoris lauream in litteris classicis consecuti sint in aliqua studiorum Universitate, et aptam linguae ac litterarum Latinarum scientiam acquisierint sintque in eiusdem sermonis usu probe exercitati. Quod si in propria natione huiusmodi Facultates non dentur vel minus aptae sint, ad optimas studiorum Universitates in exteris gentes mittantur.

³ *Const. Apost.* nn. 3. 6 (p. 133. 134).—Cfr. S. C. de Sem. *Epist.* 27 Oct. 1957, n. I (p. 294 *iuxta ed. A. A. S.*).

§ 4. Cum autem in plerisque civilibus studiorum Universitatibus fere una philologica eruditio, parum vero usus latinae linguae spectetur, curent sacrorum Antistites, ut iuvenes professores, etiam publica laurea donatos, et laudabiliter eos etiam qui in altioribus disciplinis fontes commentari debebunt³, mittant ad aliquod ex Institutis ab hac Sacra Congregatione iam probatis vel constituendis, praesertim vero ad ACADEMICUM LATINITATIS INSTITUTUM ex Constitutione Apostolica "Veterum sapientia" Romae condendum⁴, ut comparare sibi possint non modo vivum huius linguae usum in loquendo et scribendo, sed pleniorum etiam Latinitatis Christianae et Medii Aevi cognitionem.

§ 5. Professores latinae linguae a suo munere ne amoveantur sine gravi causa, at in eo stabiles sint, ut docendo se perficere et excellentiores fieri in dies possint.

§ 6. Iidem ne nimis horis docendi onerentur, quare complures numero sint; neque aliis cuiusvis generis occupationibus distineantur.

§ 7. Qui inepti quavis de causa agnoscantur, quique praesertim huic linguae adversentur, tempestive amoveantur, ne, ex falsa indulgentia vel negligentia improbanda, prima adolescentium institutio detrimentum, forte sine remedio, capiat.

§ 8. Ubi periti latinae linguae professores pauciores in quibusdam locis sint, curent Antistites, donec illorum numerus aequae augeatur, ut eos etiam ab aliis Dioecibus vel a Religiosis petant. Quod mutuuum auxilium inter varias, etiam diversae nationis, Dioeceses et inter utrumque Clerum, plurimum conferet et ad instaurationem latinae linguae iuvandam et ad vinculum solidandum caritatis.

ART. III.—*De examinibus.*

§ 1. Examina —quibus et alumnorum debita huius linguae scientia et docentium in suo munere industria ac peritia comprobatur— summa cum diligentia momentique conscientia habenda sunt. Quaevis igitur indulgentia omnino vitetur in admittendis ad superiores scholas vel ad gradus academicos vel ad ipsum magisterium qui imparati sint vel non satis probati: quaevis enim hac in re facilitas vel remissio detrimentum et illis ipsis affert, cum postea maiores inveniant difficultates claudicantesque semper sint, et ipsi Ecclesiae, cum eius linguam minus intellegant et ament, vel etiam spernant.

§ 2. Propria igitur examina habeantur post singulos annos scholares, iteranda si non fuerint superata, antequam ad superiorem classem fiat accessus:

³ Cfr. Cap. III, Art. 1, § 3; Cap. IV, Art. I, § 3.

⁴ *Const. Apost.* n. 6 (p. 134).

in iis autem habeatur semper oportet (praeter exercitationem componendi, postremis annis) *translatio* ex latina in vernaculam et ex vernacula in latinam linguam, ad verbum primis annis, dein usque expolitius secundum utriusque linguae proprietates genusque dicendi.

§ 3. Pariter examen habeatur post absolutum curriculum studiorum mediorum, idque eiusmodi sit, ut praeter debitam latinae linguae scientiam, comparatum etiam eius sufficientem usum comprobent, ut alumni reapse parati accedant ad superiores disciplinas discendas, easque latine intellegere et proponere valeant.

§ 4. Qui ad Seminarium Maius vel ad Facultates ecclesiasticas admitti cupiunt, neque studia classica peregerint in aliquo Seminario Minore, sed vel in civili aliqua schola vel in aliquo alio collegio, in quo alumni non ad sacerdotium, sed ad publica munia parantur, severius in scientia et usu linguae latinae examinentur, ut non minus parati, quam qui in Seminario Minore studia peregerint, admittantur. Quod si requisitam latinae linguae scientiam non habeant, per conveniens tempus studia classica resumant atque rite perficiant.

§ 5. Ab alumnis, qui ex aliis Institutis vel Seminariis admittuntur in Seminaria intedioecesana et regionalia ad maiores disciplinas discendas, peculiare examen, ad modum colloquii latini vel per aptam scriptiunculam, a Moderatoribus Seminariorum Maiorum exquiratur. Qui haud satis parati inveniantur, non ante admittantur, quam per congruum tempus suppleverint quae non perfecterint.

§ 6. Peculiaris adhibenda est cura atque muneris conscientia in iis rite in latina lingua instituendis, qui *natu maiores* ad sacerdotium vocati sunt et nihil vel parum admodum latine didicerunt. Vix enim credi potest quantum haec studia ad maturiorum etiam animos atque ingenia informanda conferant; quantum, contra, tota eorum sacra institutio lacunosa sit, et quantae dein sollicitudini sint moderatoribus, si cursim ac leviter ea peregerint. Ceterum, ut aperte praescribit Constitutio: "Nemini... faciendus est aditus ad philosophicas vel theologicas disciplinas tractandas, nisi plane perfecteque hac lingua eruditus sit, eiusque sit usu praeditus"⁵. Hi igitur alumni:

1.º In scholis peculiaribus ad eos recipiendos destinatis ita integram huius studii rationem —etsi citatiore gressu, non tamen perfunctorie ac prope summis labiis— absolvant, ut nihil ex ea, aetatis causa, praetermittant.

2.º Huiusmodi studium latinae linguae, antequam studio Philosophiae Scholasticae initientur, santem per biennium protrahant.

3.º Examen subeant ac superent, antequam in Seminarium Maius mittan-

⁵ *Const. Apost.* n. 3 (p. 133).

tur; huius autem erit comprobare utrum sufficienti scientia et usu instructi sint.

ART. IV.—*De latinae linguae pronuntiatione.*

Quod ad pronuntiandi rationem attinet, quamvis nihil detrahendum sit ei, quam "classicam" vocant, quaeque, cum sit in pluribus celsioribus praesertim scholis recenter restituta, utique cognoscenda est, attamen, ut iam S. Pius X⁶ et Pius XI⁷ monuere, ea pronuntiatio, uniformitatis causa, in usu retineatur, quae "romana" dicitur, quippe quae non modo "intime conexas sit cum instauratione cantus gregoriani, ad cuius numeros modosque formandos multum valuit usitata eo tempore ratio accentuum et pronuntiationis ilinguae latinae", et maxime apta "ad unitatem liturgicam in dies solidandam"⁸, sed etiam sit in usu numquam intermisso in Ecclesia et in plurium gentium scholis a saeculo circiter quarto, ita ut fere internationalis seu communis evaserit; sitque insuper pronuntiatio, qua legebantur ecclesiastica documenta cum exarata sunt, qua igitur legi etiamnunc debent.

CAPUT II

DE COMMUNI RATIONE STUDII LINGUAE LATINAE IN SCHOLIS
HUMANITATIS

ART. I.—*De fine huius studii et ratione eum assequendi*⁹.

§ 1. Nemo ignorat latinae linguae et humaniorum litterarum vim propriam ad insurgentia ingenia conformanda. His enim potiores mentis animique doctes exercentur, explicantur, perficiuntur; acuitur ingenii acies et iudicandi vis; mens ad omnia recte amplectenda et aestimanda redditur aptior; lucidior comparatur ordo in cogitando et loquendo; verborum dicendique proprietates et elegantia suppeditatur; animus non ad unam utilitatis conquisitionem, sed ad altiorem cultum veramque humanitatem efficaciter excolitur; plenior solidiorque acquiritur scientia non romanicarum modo linguarum, sed aliarum etiam cultiorum.

Haec tamen formandae mentis bona, quae una fere a studio latinitatis exspectantur in publicis scholis, non eadem una sunt, quae in clericorum institutione attenduntur, quippe in his praecipua ratione spectetur peculiaris illa mens informanda, quae requiritur ad futura munia ecclesiastica rite obeunda.

⁶ S. Pius X, *Epist. Votre Lettre*, ad Ludovicum Ernestum Dubois, Archiep. Bituricensensem, 10 Iul. 1912: A. A. S. IV (1812) p. 578.

⁷ Pius XI, *Epist.* ad Ludovicum Card. Dubois, Archiep. Parisien., 28 Nov. 1928.

⁸ S. Pius X, *l. c.* (*Epist. Votre Lettre*).

⁹ *Const. Apost.* § "Neque vero" (p. 132).

§ 2. Latinae linguae studium in scholis Humanitatis clericorum eo pariter praecipue tendit, ut sacri ordinis tirones adire possint sacrae Traditionis fontes, ipsa intellegere Pontificum, Conciliorum, Liturgiae monumenta; denique, ut hac lingua uti valeant in maioribus discendis disciplinis, in conscribendis ecclesiasticis documentis et epistolis, in epistolarum commercio habendo cum fratribus ex clero aliarum gentium, denique in disceptationibus ecclesiasticis circa fidei et disciplinae catholicae capita, quae fiunt in conciliis et conventibus ecclesiasticis ex omni gente habendis.

§ 3. Ut autem hunc finem, seu debitam huius linguae scientiam et usum sacri tirones consequantur, huiusmodi studium accommodatum esse debet tum quod ad temporis spatium insumendum attinet, tum ad Auctorum explicandorum quantitatem qualitatemque, tum ad rationem docendi discendique.

ART. II.—*De temporis spatio huic studio tribuendo*¹⁰.

§ 1. Cum tempus huic studio assignatum in variis gentibus, multis de causis tantopere variet, sive anni spectentur, sive horae singulis hebdomadis ei tributae, tantum temporis in ecclesiasticis scholis erit huic disciplinae dandum, quantum in praesentibus adiunctis necessarium ac sufficiens ad finem eius consequendum censetur.—Hac igitur in re statuitur:

1° Huius studii tempus per annos saltem *septem* est protrahendum pro adolescentibus qui lätinitatis scholas in Seminariis incohant, horas vero non minus *sex* primis quinque annis, non minus *quinque* reliquis duobus.

2° Ubi laudabiliter vigeat ratio dandi *octo* vel plures annos litteris latinis, haec ibi omnino retineatur. Quo tempore Auctores deligantur vel secundum propriam loci rationem studiorum, vel secundum schema infra propositum (Art. III, § 3).

Neque praescriptum tempus putetur inutiliter insumptum: si enim alte nunc adolescentes non egerint in his disciplinis radices, nunquam imbuentur solidioribus, quae sequentur, doctrinis, neque ecclesiasticae institutionis fructus plene percipient.

§ 2. Sic igitur variae disciplinae disponendae contrahendaeque sunt (nisi etiam aliqua vel omnino relinquenda vel ad aliud tempus differenda sit), ut hoc praescriptum temporis spatium latinae linguae tribuendum omnino servetur.

¹⁰ *Const. Apost.* n. 3-4 (pp. 133-134).—Cfr. S. C. de Sem., *Epist.* 27 Oct. 1957, n. III (p. 295).

§ 3. Qui Seminarium vel scholam ecclesiasticam ingrediuntur post unum pluresve annos in hoc studio impensos in publicis scholis, ei cursui assignentur, qui cum eorum vero scientiae gradu conveniat, non autem simpliciter cum numero annorum.

§ 4. In iis denique gentibus, apud quas *Seminaria* ex peculiaribus historiae adiunctis habentur quoque pro Collegiis, in quibus et sacri tirones et alii alumni eadem ratione studiorum instituuntur, omnino curandum erit ut haec communis studiorum ratio compleatur rite pro iis, qui ad sacerdotium contendunt, ita ut quae Ordinationes praescribunt circa spatium temporis studio Latinae linguae tribuendum et circa explanandorum Auctorum quantitatem, prorsus serventur et eo, quo ecclesiastica haec institutio spectat, perveniatur.

ART. III.—*Auctores explicandi*¹¹.

§ 1. In deligendis explicandisque auctoribus, haec fere attendenda sunt: ut gressus fiat a facilioribus ad difficiliore; ut ii seligantur qui probatiore sint latinitate, qui nihil, saltem in delectis ad interpretandum locis, contineant quod adulescentium aures animosque offendant, qui, contra, aliquid contineant, quod et elegantia dictionis et rebus contentis plus conferat ad veram animique iudicii formationem; ut ea varietate sumantur, qua possit veluti prospectus aliquis sat amplius haberi in praecipua Romanorum documenta atque adeo in totas latinas litteras; ut ea quantitate explanentur, quae sufficiat ad veram Latinae linguae scientiam suppedilandam; denique, ut cum recentioribus Ecclesiae Scriptorumque documentis gradatim coniungantur, quo melius possint alumni puram latinam linguam discere eademque ad res novas exprimendas optime accommodatam.

§ 2. His ducti principiis, delectum quemdam Auctorum exhibemus eosque ordine plus minus in scholis recepto disponimus per singulos annos, ita tamen, ut cum Auctorum delectus, tum eorum per annos distributio possit, iustis de causis (ut ex diu inducta consuetudine, ex accommodatione ad publicam huius studii rationem, etc.), aliquantulum mutari, dummodo definita haec *quantitas*, minima et sufficiens, nihil immutetur.

§ 3. Hi Auctores, igitur, et hac mensura fere deligantur pro singulis annis:

I anno: primum, sententiae integrae et elegantes, ex Auctoribus excerptae; quaedam proverbia et effata memoriter retinenda; altera anni parte, sumi poterunt quaedam ex Veteri et Novo Testamento (ut creatio mundi,

¹¹ Cfr. S. C. Sem., *Epist.* 27 Oct. 1957, n. II (p. 295).

narratio de septem fratribus Machabaeis, parabola filii prodigi, ovis perditae, etc.), saltem 100 versiculi, quorum nonnulli etiam memoriae mandandi sunt; forte addi poterit aliqua Phaedri brevior fabella vel brevissima Ciceronis epistula;

II anno: saltem 10 Phaedri fabulae, una alterave Nepotis vita, circiter 20 Ciceronis epistulae, nonnulli breviores dialogi latini (ex Erasmo, Vives, Jac. Pontano, etc.);

III anno: saltem liber ex Caesare, quaedam Ciceronis epistulae, 300 versus ex Ovidio, aliquot hymni Breviarii Romani, quaedam capita ex Catechismo ad Parochos;

IV anno: 3 eclogae Vergilii, 5 elegiae ex Tibullo et Propertio, saltem liber ex Livio, aliquot Ciceronis epistulae et aliquot capita ex Catechismo ad Parochos;

V anno: aliqua oratio Ciceronis, 30 capita ex Sallustio, liber unus ex Aeneide, et alius ex Georgicis; quaedam capita Catechismi ad Parochos;

VI anno: aliquis liber philosophicus Ciceronis (vg. De Amicitia, De Senectute, ex Tusculanis, etc.); 10 carmina Horatii, 5 ex Catullo, liber unus ex Annalibus vel monographicus Taciti; quaedam capita Catechismi ad Parochos.

VII anno: Ars Poëtica Horatii; comoedia aliqua Plauti vel Terentii; excerpta ex Lucretio (saltem 300 versus); liber aliquis ex De Officiis Ciceronis, vel rhetoricus Ciceronis aut Quintiliani.

[*VIII-IX anno*: Praeter opera quae vel ex superius tradita distributione restant interpretanda (quod amplius tempus suppetat), vel ex propria loci ratione studiorum explananda sunt, addantur selectae quaedam epistulae ex Plinio et Seneca; selecta ex Christianis latinis Scriptoribus et SS. Patribus (Minucio, Lactantio, Ambrosio, Augustino, etc.); ex Documentis Romanorum Pontificum; ex optimis Scriptoribus latinis recentioribus].

§ 4. *Catechismus ad Parochos*, qui saepissime a Summis Pontificibus et Conciliis Provincialibus commendatus, in scholis, ad saeculum usque elapsus, adhibitus est ut liber aureae latinitatis idemque optimus discendae christianae doctrinae textus, semper in manibus habeant alumni a tertio latinitatis anno, quo fiet ut sensim discant aureum latinum sermonem coniungere cum propria et perspicua lingua documentorum disciplinarumque Ecclesiae.

§ 5. Etsi de vita et scriptis singulorum Auctorum, qui in scholis inter-

pretandi explicandique sunt, iam aliqua notitia exhibita est a Professore antequam opus explicandum aggrediretur, hic tamen debet totum latinae rei litterariae contextum dare, a *quinto* anno. Recenseantur praecipuorum scriptorum vita, opera, argumenta, momentum historicum vel philosophicum vel poëticum, genus dicendi proprium, imitationes mutuationesque ex antiquioribus, alia huiusmodi. Haec autem omnia latine explicentur et librum auditores possideant, qui si latine conscriptus desit, professor poterit vel aliquid dictare vel scripta folia distribuere.

Caveant hac in re ne nimis indulgeant eruditioni, sed ea modo exquirant, quae reapse ad Auctoris vitam, artem, linguam, momentum proprium et ad formationem iudicii animique spectent.

ART. IV.—*De ratione docendi discendique linguam latinam*¹².

§ 1. Cum latinae linguae studium postulet praevidiam partium orationis seu, quam vocant, "*analysis grammaticalis* vel *logicae*" cognitionem, alumni rudimenta huiusmodi, omnino necessaria, per congruum tempus ante doceantur, quam ipsum huius linguae studium incipiant.

§ 2. Ratio docendi latinam linguam sit oportet *ad eius usum assequendum* accommodata. Quare nimia illa philologica farrago, quae in scholis litterariis, altioribus praesertim, prope una viget neque optatis fert huius studii fructus, amputanda erit atque ad veterem docendi rationem redeundum, cuius praecipua capita in memoriam infra revocabimus (§§ 8-10).

§ 3. Cum in latina sacrorum tironum institutione, huius linguae plena scientia et usus spectanda et assequenda sint, *grammatica institutio* non perfunctorie ac leviter tradenda est, sed plene et recte; gradatim quidem pro auditorum captu, et semper cum ipsa textuum comparatione et lectione coniuncta.

§ 4. *Pars igitur theorica* ita fere dividi potest, ut 1° anno tradatur phonetica et morphologia integra, etsi summario modo; accedat 2° anno repetitio generalis morphologiae, quae complenda erit in sua parte magis anomala, et praeterea pars syntaxis, quae concordantiam casuum spectat; 3° anno absolvatur syntaxis temporum et modorum; 4° anno syntaxis resumatur et perficiatur in partibus etiam difficilioribus; 5° anno prosodia et metrica plene, etsi summario modo, doceatur, neque interim syntaxis repetitio negligatur; 6° et 7° anno, non modo stili praecepta tradantur breviter, sed etiam grammatica, syntaxis et metrica (hezametrica, horatiana et hymnica) in Auctoribus ipsis legendis, commentandis, vertendis detegatur et resumatur.

¹² *Const. Apost.* n. 3 (p. 133).—Cfr. S. C. de Sem., *Epist.* 27 Oct. 1957, n. II (p. 294).

§ 5. Praecepta grammaticae (quae omnia, praeter et quae interim prudenter praetereunda sunt, memoria sunt bene tenenda) facili ac perspicua ratione magister explicet, sine quaestionibus de nugis, at crebris earumdem rerum repetitionibus. In exemplis, quibus pueri doceantur quemadmodum illa sint ad loquendi scribendique usum accommodanda, magister occupetur, potius quam in omnibus, utilibus, inutilibus, hic inde magno studio congerendis; quare summo studio seligat quae admodum significantia et utilia sint, ita ut eius schola sapientia eluceat.

§ 6. In deligendis grammaticis magna adhibeatur cura, ut cum certam et perspicuam, tum plenam etiam contineant doctrinae tractationem. Non igitur, praesertim in primis scholis, sint nimis eruditione minutiisque referatae; neque tamen simpliciores levioresque, cum usus linguae, in scribendo et loquendo, perspectam admodum requirat eius doctrinam atque naturam. Perutile autem erit unam tantum sequi pro integro curriculo, ut discipuli eam perspectam et deinde semper comitem fidelem habeant, quam consulant cum dubium aliquod oriatur.

§ 7. Secundum antiquitus traditam rationem docendi, iam diu fere ubique non sine detrimento intermissam (quae tamen nostris diebus magis magisque aestimatur atque, ad recentiora scientiae paedagogicae praecepta scite accommodata, apte excolitur), *usus latine loquendi in ipsas praelectiones, interrogationes, repetitiones inducatur.*

Textus ipse syntaxis latine conscriptus sit, vel ipse magister breviter praecepta latine tradat, quae ut memoriter a discipulis retineantur ac recitentur curabit.

§ 8. Magni igitur facienda est *exercitatio*, quae varia ratione in scholis latinitatis haberi potest, gradatim tamen et congruenter ad doctrinae gradum uniuscuiusque scholae.

1) Discipuli exerceantur in *declinandis* primum formis regularibus, dein formis etiam anomalis usitatissimis, quas memoriae omnes mandent; in eisque diligentissime, diversorum generum et nominibus et verbis ad declinandum propositis, insistant.

2) Altera exercitatio erit *memoriae*, ita ut non modo grammaticae praecipua saltem praecepta ad verbum (ut clare et firmiter retineantur, quasi artis cuiusdam formulae), sed etiam selectae sententiae et dicta, lectissimum poëtarum tum oratorum loci memoriae mandentur ac recitentur.

3) Pariter exerceantur *interrogationibus* de praeceptis grammaticae, etc., de argumento Auctorum, de explanatione significationum verborum: in primis autem scholis vernaculā linguā, dein latine; primum, eorum quae explicata et adnotata sunt, iisdem prope verbis, dein propriis.

4) Plurimi fiat exercitatio *loquendi*, bene tamen et polite, ita ut, si in aliqua re peccarint alumni, statim a magistro corrigantur; qui et selecta de rebus communioribus verba suppeditabit.

5) *Scriptio*, quae praecipua ratio est perveniendi ad plenam linguae scientiam et usum, fiat nunc inter scholas extemporaliter, nunc inter privatum studium; in superioribus autem scholis, alternis soluta et ligata oratione bis saltem in hebdomada; argumentum proponatur vel iam explicatum vel simpliciter enuntiatum; in carminibus metricae pangendis (qui maximus labor maximos etiam, ni non ipsius poëseos, certe saltem scientiae linguae et metricae latinae fructus afferre solet), primum magister versus aliquos, dissoluto ordine verborum proponat, quos discipuli adstringant rursus; dein ipsi, suis viribus, et certo aliquo metro pangant.

6) *Numquam desit conversio ex vernacula lingua in latinam et ex latina in vernaculam*, quae si fiat proprie et secundum utriusque genus dicendi, plurimum confert ad utriusque linguae plenioriam scientiam acquirendam, indolem detegendam, et ad mentes reapse informandas.

7) *Auctorum explicatio*, ad modum praelectionis professoris, ab uno, ceteris audientibus, facienda.

§ 9. *Praelectio*, in qua professoris eruditio, peritia, industria, efficacitas maxime elucet, instrumentum est praecipuum ad felicem huius institutionis exitum assequendum. Ea sit in primis scholis simplex et vulgari tantum sermone; post, ad vulgarem accedat interserta latina explicatio; a quarto anno sit tantum latina et uberior.

Sic autem magister procedere fere potest, ut primum praecedat *argumentum* libri vel orationis vel loci in singulis scholis explicandi vel breviter resumendi; dein sequatur *explanatio*, quae, in scholis grammaticae, exponet verborum ordinem, orationis structuram et vocabula obscuriora; in superioribus scholis, latine idem exponet, sed ornatus et uberius; tum accedat *grammatica*, pro scholis inferioribus, in qua perpendentur singula verba et uniuscuiusque genus, declinatio, coniugatio, modi, tempora, etc., vel *rhetorica*, pro scholis superioribus, seu observatio earum rerum, quae, prout Auctor explicandus erit orator vel poëta, ad eloquentiam, ad poësim, ad grammaticam, syntaxis et orationis structuram pertinent; tum *eruditio*, quae in scholis inferioribus erit plenior explicatio (per exempla, similitudines, descriptiones, etc.), quam suggerunt quaedam vocabula, narrationes, etc.; in scholis superioribus, eodem modo procedet, sed uberius et adductis notionibus historicis, mythologicis, poëticis, etc.; denique *latinitas*, quae in scholis inferioribus pueros docebit quomodo verborum ordo mutetur, alia aliis praeponantur, haec et non illa vocabula usurpentur, etc.; in superioribus scholis explicabit metaphoras proprias, vim verborum et significantiam, diversam vim ex diverso ordine et artificio, proprietates utriusque linguae in eadem re

exprimenda, denique omnia, quae ad eloquentiam, poësim, genus dicendi pertinent.

§ 10. *Interpretatio Auctorum* fiat primum, saltem ex parte, ab alumnis in cotidinis pensis (eiusque rationem petat professor in scholis et interdum corrigat in proprio cubiculo, ut melius certior fiat de uniuscuiusque profectu); dein a professore in scholis, qui vocabula, modos dicendi, constructiones difficiliore, notitias historicas et geographicas, etc., explicabit variis modis latine vel vernacula lingua, sed quam lectissimis verbis et ratione dicendi propria, ut utriusque linguae color proprius eluceat. Iuvat autem alternis scholis poëtam et oratorem interpretari, ne, deficiente varietate, fastidio auditores afficiantur.

CAPUT III

DE STUDIO ET USU LATINAE LINGUAE IN SEMINARIIS MAIORIBUS

ART. I.—*De studio linguae latinae.*

§ 1. Seminarii Maioris alumni studium latinae linguae non omnino deponere debent, at illud prosequi ac perficere in iis praesertim, quae sunt propria ac peculiaria latinitatis fontium sacrae Traditionis, documentorum Ecclesiae et disciplinarum, quibus operam navant.

§ 2. Non modo igitur privata classicorum christianorumque Auctorum lectione hanc linguam excolant, sed, ut haec quasi vernacula, quasi materna ac nativa evadat, varia ratione in ea assidue exercentur, quomodo olim fiebat ac fit etiam nunc in recentium linguarum studio, quae ipsa colloquutione, potius quam praeeptis discuntur. Quare commendanda erunt latina colloquia certis diebus inter animorum relaxationem et cum professoribus in privatis explicationibus; neque neglegenda latina compositio, cuius fructus, sollemnioribus praesertim diebus, in publicis academiis recitari vel exponi possunt.

§ 3. Ut alumni qui maioribus disciplinis operam navant studium latinae linguae constanter prosequantur ac paulatim introducantur in peculiarem fontium latinitatem, praecipitur ut:

1° a perito professore peculiaris huius latinitatis cursus pro omnibus alumnis latine habeatur, qui horam saltem in hebdomada complectatur per integrum Theologiae curriculum;

2° in eodem cursu, variarum disciplinarum praecipua documenta et fontes —ut scripta SS. Patrum, et Theologorum, documenta Pontificium et Conciliorum, textus Liturgiae— ex communi cum singulis professoribus consensu delecta, legantur et explicentur;

3° ab hoc cursu frequentando nemo eximatur, et eo absoluto, examen omnes subeant, ac repetant qui plene non satisfecerint.

Sic fiet ut ex perspectis proprietatibus suae cuiusque latinitatis, non modo solidum ponantur fundamentum ad exegesim doctrinae, sed etiam augeatur directa fontium cognitio et vera eorum percipiatur interpretatio—sine qua nulla dari potest tuta ac sincera institutio ecclesiastica— et simul complementum magni pretii addatur scholasticis praelectionibus.

ART. II.—*De usu linguae latinae*¹³.

§ 1. In maioribus disciplinis ecclesiasticis tradendis latinae linguae usus prompte et plene instaurandus ubique est, quibusvis superatis difficultatibus; nullique Antistiti vel Moderatori iam liceat arbitrio suo aliquid indulgendo permittere contrarium.

§ 2. Disciplinae latine tradendae erunt Philosophia theoretica, Theologia universa, dogmatica et moralis, generalis et specialis Introductio in S. Scripturam, Ius Canonicum. Eximi ideo possunt disciplinae quae ad doctrinam pastorem proprie dictam, ad catechetica et eloquentiam sacram pertinent; item Historia Philosophiae, Historia Ecclesiastica et reliquae disciplinae.

§ 3. Quavis contraria reprobata consuetudine, praecipitur:

1° ut libri disciplinarum latine tradendarum in usum scholae editi et in schola adhibiti, sicuti etiam privata professorum scripta in auditorum usum multiplicata, quibus quaedam doctrinae capita opportunum censeant illustrare, semper sint latine exarata.

2° ut auditores singuli non modo librum de singulis disciplinis latine tradendis, latine conscriptum possideant, sed etiam integram S. Scripturam iuxta editionem Vulgatam, Codicem Iuris Canonici et varia documentorum Enchiridia latina.

3° Index librorum in scholis adhibitorum Sacrae Studiorum Congregationi significetur, secundum eiusdem praescriptum¹⁴.

§ 4. Assuefiant praeterea alumni, quae latine legerint vel audierint, latine etiam in mente evolvere, perpendere, repetere, retinere; vocabula locutionesque cuiusque disciplinae propria bene intellegere ac memoriae mandare, ut dein in repetitionibus et examinibus usque expeditius et polite eloqui possint.

¹³ *Const. Apost.* n. 5 (p. 134).

¹⁴ *Cfr. infra* Cap. VII. § 3. 2.

§ 5. Examina sive scripto sive ore habenda de disciplinis latine tradendis, latine fiant; idem autem dicatur de publicis disputationibus et praelectionum repetitionibus.

§ 6. Professores quibus superiores ecclesiasticae disciplinae latine docendae sunt:

1° omnia latine parent accurate, dilucide, emendate, ut dignitas ipsa harum disciplinarum postulat, nec formam dicendi reliquant extemporali afflatui;

2° quare ita deligantur, ut in eis non tantum in propria disciplina peritia, etiam singularis, attendatur, sed ratio quoque habeatur debitae eorum scientiae et usus linguae latinae¹⁵;

3° tempestive igitur moneantur, ut in hac etiam parte parare se possint, et eis congrua ad hanc praeparationem suppeditentur auxilia;

4° si vero praescriptum latinae linguae usum in habendis praelectionibus neglegant et contemnunt, ne et doctrina et exemplo auditoribus noceant, a munere amoveantur¹⁶.

§7. Moderatores Seminariorum sollicite curent quae de bibliotheca apte instruenda, etiam ad linguam latinam et graecam quod attinet, infra edicuntur (Cap. IV, Art. II, § 14).

CAPUT IV

DE STUDIO ET USU LATINAE LINGUAE IN UNIVERSITATIBUS ET FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM

ART. I.—*De studio linguae latinae.*

§ 1. Cum altiorum praecipue studiorum munus sit auditores “ad fontium cognitionem, ad investigationis laborisque scientifici usum atque ad magisterium exercendum instruere”¹⁷, patet huiusmodi auditores peculiari etiam instructos esse debere scientia et usu latini sermonis, qui scientiae sacrae clavis est necessaria.

¹⁵ *Const. Apost.*, n. 5 (p. 134).

¹⁶ *Const. Apost.* nn. 2 et 5 (pp. 133 et 134).

¹⁷ *Const. Apost. Deus scientiarum Dominus*, Tit. I, Art. 2: A. A. S. XXIII (1931) p. 247.

§ 2. Nemo igitur in Universitatem vel Facultatem ad gradus academicos adipiscendos ascribi potest, nisi curriculum studiorum classicorum rite absolverit¹⁸; quod utique probandum erit documentis authenticis, firmo iure Universitatis vel Facultatis imponendi examen, quodcumque documenta allata non sufficere censeantur. Falsa enim hac in re indulgentia aliaeque humanae rationes non poterunt gravi non esse detrimento et studiis ipsis et debitae horum auditorum institutioni¹⁹.

§ 3. Quo latius et fructuosius alumnis pateat aditus ad fontes (quorum cognitionem, ex Art. 2 Const. Apost. "*Deus scientiarum Dominus*", spectare debent Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum) et eorum accuratior habeatur exegesis philologica — cuiusvis ulterioris exegesis fundamentum primum ac necessarium — et inde plena certaue intelligentia, praescribitur:

1° ut in Facultate Philosophiae et in Facultatibus atque Institutis superioribus disciplinarum sacrarum peculiaris habeatur cursus, quo alumni de propria fontium lingua (graeca et latina) edoceantur;

2° ut huiusmodi cursus unam minimum horam in hebdomada duobus annis saltem per semestre complectatur;

3° ut haec disciplina computetur inter *auxiliares*, ad normas Const. Apost. "*Deus scient. Dominus*" (Art. 33, § 1, 3; Art. 34). Quare ab hoc cursu frequentando nemo eximatur, et eo absoluto, examen est ab omnibus subeundum, ac repetendum ab iis qui plene non satisfecerint.

§ 4. Poterunt cum hac disciplina coniungi peculiare illae exercitationes, quae in doctrinali selectorum textuum interpretatione versantur²⁰, dummodo horarum numerus (iuxta praescriptum § 3, n. 2°), augeatur, ita ut distincta explanatio philologica et doctrinalis detur vel ab eodem professore, si sit in utraque parte peritus, vel a diversis.

§ 5. In hoc cursu, post traditas praecipuas proprietates grammaticas et lexicales latinitatis documentorum quae explicanda veniunt, philologicae et semantice explanantur delecti loci, qui et lingua et argumento possunt auxilio esse praecipuis disciplinis illustrandis. Sic verbi gratia, in Philosophia, quaedam hac ratione exponantur ex praecipuis antiquis philosophis et praesertim ex S. Thoma; in Theologia seligantur, congruenter cum variis tractatibus theologicis et ex eorum professorum consilio, loci SS. Patrum,

¹⁸ *Const. Apost.*, n. 3 (p. 133).

¹⁹ Cfr. *Const. Apost. Deus scient. Dominus*, Tit. II, Art. 25; "Ordinationes". Art. 14: A. A. S. XXIII (1931) pp. 252 et 267.

²⁰ Cfr. *Const. Apost. Deus scient. Dom.*, Tit. III, Art. 30, § 1, et eius "Ordinationes", Artt. 22-23 (pp. 254 et 269 iuxta ed. A. A. S.).

praecipuorum Theologorum, Doctorum Ecclesiae, Conciliorum et Documentorum Pontificum, textuum dogmaticorum S. Scripturae, partes Liturgiae, etc.; in Iure Canonico et Romano, introducantur alumni in cognitionem lexicum ac generis dicendi proprii harum disciplinarum, illustrando vim praecipuarum vocum, et exponendo delectos locos antiquos et recentes.

ART. II.—De usu latinae linguae.

§ 1. Usus latinae linguae in studiorum Universitatibus et Facultatibus, quavis superata difficultate integre restituatur, nulli facta potestate ex arbitrio hac in re dispensandi.

§ 2. Disciplinae latine tradendae erunt Philosophia theoretica, Theologia universa, Sacra Scriptura, Ius Canonicum et Romanum²¹.

§ 3. Reliquae disciplinae vernacula lingua tradi possunt, nisi ex necessitate —quod nimirum auditores ad varias pertineant gentes et linguas— vel ex laudabili consuetudine aliter cautum sit.

§ 4. Publicae pariter disputationes et praelectionum repetitiones latine fiant.

§ 5. Quod ad examina attinet, haec praecipiuntur:

1° Examina sive scripto sive ore habenda de disciplinis latine traditis, latine fiant;

2° peculiari ratione latine pariter fiant examina praeponenda cuius gradui academico in dictis disciplinis suscipiendo, “lectio coram” et thesis defensio;

3° in his latinis examinibus iudicium etiam de latinitate ne leviter feratur, sed debita severitate, ut reapse, praeterquam de doctrina, de examinatorum etiam expedito et emendato huius linguae usu constet; qui vero non satis, hac etiam in parte, instituti ac periti videantur, ad gradus ne promoveantur.

§ 6. Experimentum ad licentiam consequendam requisitum ad normam Art. 37 “Ordinationum” ad Const. Apost. *Deus scientiarum Dominus*, in disciplinis de quibus supra (§ 2), latino sermone exarandum est.

§ 7. Thesis ad doctoris lauream assequendam in disciplinis de quibus in eadem § 2, suadendum valde est ut latine conscribatur.

Quod si Universitatum vel Facultatum statuta decernunt vel decernent

²¹ Cfr. Ordinationes ad Const. Ap. *Deus scient. Dom.*, Art. 21 (p. 268).

in posterum latinae linguae usum in conscribendis thesibus, hic firmiter retineatur.

§ 8. Cum thesis lingua aliqua ex vernaculis, quae ex Statutis cuiusque Universitatis vel Facultatis admittuntur, conscripta est, ei congruens summarium latine exaratum praemittatur.

§ 9. Quod autem attinet ad professores tum mature designandos parandosque ut in usu quoque latinae linguae bene sint exercitati, tum amovendos si inepti in hac parte sint vel renitentes, eadem valent, quae pro Seminariorum Maiorum professoribus dicta sunt (Cap. III, Art. II, § 6).

§ 10. Auctoritates academicae Universitatum et Facultatum ecclesiasticarum in professorum nominibus Sanctae Sedi proponendis, quibus disciplina aliqua latine tradenda erit, declarent etiam, praeter ea quae praescribuntur in Const. Apost. "*Deus scient. Dominus*" (Tit. II, Art. 21), utrum ii debitae latinae linguae scientia et usu praediti sint.

§ 11. Ex iis quae in Constitutione Apostolica dicta sunt de praestantia latinae linguae pro Catholica Ecclesia, cuius iure meritoque dicitur et est lingua propria, valde optandum est ut, qui in Actis periodicis de sacris disciplinis scientificas commentationes conscribunt ad clerum destinatas, id latine faciant, hoc est lingua harum disciplinarum propria, quo periculum vitetur inducendi, pro cuiusque arbitrio, profanas vocum novitates et, per eas, in dogmata varietates et ambiguitates atque etiam perversiones, et quod plures cuiusvis gentis et linguae sacerdotes eas legere et intellegere valeant.

Quod si id fieri non possit, saltem congruum commentationis summarium latine addatur.

§ 12. Enixe pariter commendatur usus latinae in criticis apparandis editionibus documentorum primaevae Aetatis christianae et Medii Aevi, et in versionibus scriptorum Ecclesiarum Orientalium. Hoc enim non modo cum huiusmodi documentorum natura consentaneum est, sed plurimum etiam confert ad universalitatem doctrinae provehendam facilioremque reddendam eruditionis acquisitionem.

§ 13. Idem dicendum est de latinae linguae usu in ecclesiasticis coetibus, qui ad quaestiones sacrae disciplinae, doctrinae vel pastoralis muneris tractandas coaguntur ex gentibus et linguis diversis. Plurimum enim communis omnibus lingua confert ad mutuam animorum coniunctionem, ad faciliorem promptioremque communicationem, quam tot linguarum multitudo impedit, efficitque ut magis in dies intra cuiusque gentis confinia sacri Universalis Ecclesiae ministri conclusi et constricti, omnia prope ignorent atque etiam scire neglegant, quae alibi a sodalibus in eodem implendo munere fiant.

§ 14. Curent pariter Seminariorum et Facultatum scholarumque eccle-

siasticarum Moderatores ut bibliotheca, etiam quod attinet ad latinam graecamque linguam, diligenter instruat ac ditetur, ne desint, professoribus praesertim, debita auxilia ad propriam institutionem perficiendam et ad opera etiam critice conscribenda. Si enim debita librorum suppellex desit, nullus etiam erit stimulus ad investigandum et scribendum, nulla curiosa conquisitio et progressio, at modo inertia animi et confidens ignorantia.

CAPUT V

DE STUDIO LINGUAE GRAECAE²²

§ 1. Etsi Apostolica Constitutio spectat praecipue instaurationem studii et usus linguae latinae, minime tamen neglegit claram definitamque dare normam de studio etiam linguae graecae. Maxima igitur cura addiscatur oportet, cum et ipsa non modo multum conferat ad adulescentium mentes informandas, et sit cum latina lingua peculiari affinitate coniuncta, ita ut ad plenam veramque illius scientiam requiratur, sit praeterea in quavis fere civili ratione classicorum studiorum recepta, sed etiam necessaria prorsus sit tum alumni omnibus qui maiores disciplinas in Seminariis aggrediuntur, ac praesertim iis qui in Universitatem vel Facultatem ecclesiasticam ad gradus academicos adipiscendos ascribi velint²³; tum ecclesiastico cuique viro, cui ex munere docendi Philosophiam vel Sacras disciplinas, veteres ipsi fontes sacri et profanni adeundi sunt.

§ 2. Quare praescribitur:

1° ut in illis quoque gentibus, ubi in publicis scholis, scientiarum institutionem praecipue spectantibus, non traditur graeca lingua, tradatur in Seminariis et aliis scholis ecclesiasticis, ne alumni ad superiores disciplinas discendas imperati admitantur.

2° Tempus, tum quod attinet ad annorum tum ad horarum numerum in hebdomada, huic lingua discendae tribuatur, quod ad debitam eius praescriptam cognitionem, pro rerum locorumque adiunctis necessarium requiratur.

3° Quod spectat ad Auctores cum profanos tum sacros explicandos atque ad graecae grammaticae cognitionem, proportione facta, ea ratio minima et sufficiens servetur, quae pro latina lingua praecipitur in harum Ordinationum Capite II (Art. III, §§ 1-3; Art. IV, §§ 2-6).

²² *Const. Apost.*, n. 7 (p. 135).

²³ Cfr. *Const. Ap. Deus scient. Dom.*, Tit. II, Art. 25; *Ordinationes*, Art. 14 (pp. 252 et 267).

4° Professor lingua graecae sit reapse peritus et in litteris doctoris laurea in Studiorum Universitate donatus.

5° Ratio etiam docendi enarrandique Auctores accommodata sit oportet ad debitam utilemque huius linguae cognitionem, iuxta ea quae traduntur in his Ordinationibus (Cap. II, Art. IV).

Quare in scholis peculiaris impendatur cura in verborum etymis detegendis, in illustrandis vocabulorum familiis, quae ex illis derivantur in recentes etiam linguas et artes, ut apprehensis etymis eorumque vi, plures inde voces intellegantur ac vera utilitas habeatur pro altioribus studiis.

§ 3. Constituenda peritorum Commissio ad studiorum rationem in singulis gentibus secundum Pontificis Constitutionem et has Ordinationes aptandam²⁴, in hac quoque parte rationem definiat, ab hac Sacra Studiorum Congregatione probandam.

§ 4. Quod attinet ad linguam hellenistico-biblicam, paecipitur:

1° ut in Seminariis habeatur inter studia theologica peculiaris cursus unius horae in hebdomada per annum, examine absolvendus;

2° ut in Facultatibus theologicis quoad omnes effectus religiose servetur praescriptum Ordinationum ad Const. Apost. *Deus scientiarum Dominus*, quo huiusmodi disciplina *auxiliaribus* adnumeratur (Art. 27, I, 2).

CAPUT VI

DE VISITATORIBUS

§ 1. Constituitur munus Visitorum, quorum erit, certis temporibus, inspicere utrum, ad sedulam executionem Constitutionis Apostolicae²⁵, omnes et singulae Ordinationes cum debita promptaque diligentia atque etiam cum fructu, qui iure exspectandus est, religiose serventur.

§ 2. Secundum propriam constitutam Visitationis rationem, Visitatores praesertim inquirent: de docentium numero et debita praeparatione ac diligentia; de studiorum rationibus, prout fuerint a constitutis peritis digestae secundum has Ordinationes; de omnibus quae ad debitum tribuendum tempus, ad Auctores explanandos, ad rationem docendi, ad exercitationes faciendas, ad adhibendas industrias, pertinent.

§ 3. Poterunt etiam quibusdam praelectionibus interesse, discentes interrogare, pensa videre, aliquid scripto vel ore declarandum proponere, omnia

²⁴ Cfr. supra, Cap. I, Art. I, § 2.

²⁵ *Const. Apost.*, nn. 1-2 (p. 133).

denique experiri, quibus certiores fiant de vera et plena huius studii efficacia.

§ 4. Nec Maiora Seminaria et Ecclesiasticas Facultates neglegant, in quibus inspicient utrum alumni debite parati in latinae linguae scientia et usu veniat ex inferioribus scholis; utrum latinae linguae usus servetur in praescriptis tradendis disciplinis; utrum textus et Enchiridia documentorum Ecclesiae, latine conscripta sint et a singulis alumni possideantur; utrum cursu latinitatis christianae institutus sit, et quanta cum utilitate proficiat; utrum examina quoque latine habeantur, et exercentur alia ratione alumni in usu et cultu latinae linguae.

§ 5. Visitatione peracta, de vero latinae linguae statu referent ad Sacram studiorum Congregationem; remedia, quae iis aptiora videbuntur, eidem proponent; significabunt pariter quae laudanda et imitatione digna invenerint.

§ 6. Singula in explendo munere fusius inquirenda Visitatores inspiciant in Appendice I^a his Ordinationibus adnexa.

CAPUT VII

DE RELATIONE AD SACRAM CONGREGATIONEM DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS MITTENDA

§ 1. Relatio de ratione et statu instaurationis linguae latinae mittatur.

1) singulis annis ad quinquennium (nisi pro locorum conditionibus S. Congregatio ad longius tempus eam mittendam exquirat), ut constet utrum Ordinationes plene iam inductae sint, vel aliquid cunctationis adhuc remaneat, et possint postrema impedimenta definitive amoveri;

2) dein relatio erit quinquennalis, una simul mittenda cum relatione generali de statu Seminariorum;

3) Universitates vero et Facultates ecclesiasticae, post primum quinquennium, relationem ex more mittent triennemem.

§ 2. Relatio conficienda erit a Praefecto studiorum, subsignanda vero ab Excellentissimo loci Ordinario; in Universitatibus et Facultatibus conficienda et subsignanda erit a Rectore vel Praeside.

§ 3. Relatio mittenda:

1) a Seminariis Minoribus ceterisque scholis in quibus sacri futuri administrum curriculum infimum et medium studiorum classicorum peragunt, erit praecipue: de temporis spatio huic studio tributo, de magistrorum numero et doctrina, de ratione docendi discendique, de examinibus, de om-

nibus denique, quae his scholis in Ordinationibus praecipiantur (cfr. *Appendix I*);

2) a Seminariis Maioribus, Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum, erit praesertim: de peculiari cursu latinitatis fontium, quomodo habeatur et quibus magistris; de latinae linguae usu in tradendis disciplinis, indicando quae latine, quae vernacula lingua tradantur; de auditorum professorumque praeparatione et peritia in lingua latina; de variis industriis ad latinae linguae studium in alumnis fovendum, continuandum; de libris manualibus in scholis adhibitis; de ceteris, iuxta Ordinationes.

CAPUT VIII

NORMAE TRANSITORIAE

§ 1. Quae in his Ordinationibus ex mandato Summi Pontificis praescribuntur, integre valere incipient a primo die anni academici 1963-64 vel 1964 pro cuiusque hemisphaerii consuetudine.

§ 2. In regionibus autem in quibus latinae linguae scientia et usus ita tepuerint, ut in maioribus disciplinis alumni intellegere professores latine loquentes non possint, ac brevi edoceri vel usum loquendi nequeant sibi comparare: ne debita in his disciplinis institutio detrimentum patiat, omnino curandum est:

1.º ut interim, harum disciplinarum textus latine conscripti adhibeantur, et conatus fiant a professoribus explicandi gradatim latine aliquam praelectionem ac dein libri partem, ut auditores idoneam huius linguae intellegentiam sensim acquirant;

2.º ut sollerti pariter industria Moderatores studium huius linguae in scholis superioribus varia ratione promoveant, ei designando definita quaedam cotidiana temporis intervalla, quibus, moderante magistro, alumni assiduae exercitatione dent operam ut quam citius possint praelectiones sequi cum fructu;

3.º ut peculiaris annus propedeuticus instituat —quod quidem magis opportunum et efficax videtur— quo qui parum exculsi ex scholis humanitatis veniant (donec instauratio suos dederit fructus), in latinae linguae cognitione et usu congrue perficiantur, antequam ad disciplinas superiores accedant.

§ 3. Ordinarii locorum, antequam Seminarii Maioris professoribus munus committant docendi aliquam ex disciplinis latine tradendis (cfr. Cap. III, Art. II, § 2), eorum nomina —donec aliter cautum fuerit— Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus proponant, significantes

utrum candidati, praeter ceteras requisitas qualitates, latinae quoque linguae adhibendae peritiam habeant.

Quas Ordinationes omnes et singulas Ssmus D. N. Ioannes divina Providentia Pp. XXIII ratas habuit, confirmavit, evulgari iussit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus SS. CC., die XXII mensis Aprilis, in Resurrectione Domini, anno MCMLXII.

✠ IOSEPHUS Card. PIZZARDO, *Praefectus*

L. ✠ S.

† Dinus Staffa, *a Secretis*

APPENDIX I

DELINEATIO RELATIONIS AD SACRAM CONGREGATIONEM DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS MITTENDAE²⁶

I. DE STUDIO LINGVAE LATINAE IN SCHOLIS INFERIORIBUS ET MEDIIS

1. Quot *anni* studio linguae latinae tribuuntur? Quot *horae* singulis hebdomadis et singulis annis? Sufficiuntne ad totam Auctorum et grammaticae, etc. portionem explicandam convenienti modo? Qui Auctores explicantur singulis annis? iidem an diversi quam qui in Ordinationibus indicantur? eodem ordine? Habentne singuli alumni proprios textus?

2. Debitne *ratio huius studii* accommodari, ut Ordinationum praescripta servarentur? quomodo accommodata est?

3. Si "Collegium-Seminarium" sit, qua ratione pro tironibus, qui ad Sacerdotium adspirant, suppleantur quae publica ratio non habet?

4. Praesens ratio agnosciturne a publica Potestate?

5. Si non agnoscatur, huius Seminarii (vel scholae) alumni subeuntne examina publica, ut publicos titulos assequantur? omnes, vel optimi tantum?

6. Quot *Professores* linguae latinae dantur? Quot *horae* singulis tribuuntur et in quibus classibus? Habentne etiam alia munera domi vel extra, quibus a proprio hoc munere distraherentur?

7. Suntne omnes doctoris laurea in litteris classicis donati? Si secus, quas alias superiores scholas frequentarunt? vel qua alia ratione praeparati sunt?

8. Quid fit ut quidam apti praeparentur?

9. Habentne latinae linguae usum in loquendo et scribendo, praesertim qui in superioribus scholis docent?

10. Quo exitu docent? Suntne debitis dotibus paedagogicis ornati? Frequenter permutantur, an stabiles (praesertim qui in superioribus scholis docent) sunt?

11. *Examina* fiuntne post singulos annos, etsi publice haec non fiunt?

²⁶ Cfr. *Ordin.*, Cap. VII, § 3.

12. Si publica fiant, fiuntne etiam privata in Seminario, ut iudicium de singulis feratur an debitum cuiusque anni progressum fecerint et an propriam alumni institutionem habeant, iuxta Ordinationes?

13. Qua ratione examina habentur? Fitne conversio ex utraque lingua? compositio, in superioribus scholis?

14. Constatne de vera scientia et usu latinae linguae in iis, qui ad altiores disciplinas ascendunt?

15. Danturne alumni qui maturiores ingressi sint? quibus classibus attributi sunt? suntne impedimento ceteris? habentne proprias scholas? vel qua ratione edocentur omnia, quae exigenda sunt hac in re, antequam in Seminarium Maius admittantur?

Quomodo totum hoc studium distributum est pro his vocationibus? Quot anni tribuuntur? Exigitur ab iis eadem latinae linguae scientia et usus antequam altiora studia petant? Qua ratione student linguae graecae?

16. Quae *ratio docendi*? Estne, ut Ordinationes praescribunt, sic accommodata, ut non eruditionem tantum, sed praecipue veram latinae linguae scientiam et usum spectet? Conantur magistri, praesertim superiorum scholarum, propositam in Ordinationibus rationem sequi?

17. Qui *usus loquendi* in scholis habetur? Quae *exercitatio scribendi* latine? Habenturne frequentes repetitiones, interrogationes, etc.?

18. Qui *textus* grammaticae latinae adhibentur? Quae partitio grammaticae, etc. servatur singulis annis? Absolviturne pars theórica et Auctorum explanatio singulis annis ab Ordinationibus assignata? Traditurne sufficiens notitia totius rei litterariae latinae seu litteraturae?

19. Quae difficultates peculiares habentur in hoc Seminario? ex parte professorum, alumnorum, rationis docendi, temporis, Auctorum explicandorum, numeri disciplinarum, etc.?

II. DE STUDIO ET USU LINGUAE LATINAE IN SEMINARIIS MAIORIBUS

1. In *disciplinis maioribus tradendis*, servaturne firma praescriptio adhibendi linguam latinam? Iamne vigeat haec ratio? an modo inducta est? Consciuntne sunt Professores et alumni de firma voluntate Ecclesiae circa usum latinae linguae in his disciplinis tradendis?

2. Professores possuntne latine docere? Si vero omnes vel aliquis non possint, quid interim cautum est? Danturne qui huic usui adversentur?

3. Auditores singuli habentne textus latine conscriptos et Enchiridia latine pariter conscripta? Possidentne integram S. Scripturae Vulgatam editionem? Suntne satis parati ut latine docentem intellegere valeant? an averso sunt animo linguae latinae?

4. Quid ad prosequendum perficiendumque latinae linguae studium fit in Seminario Maiore? Danturne academiae vel scholae vel exercitationes ad hoc peculiares?

5. Circa peculiarem *cursum latinitatis christianae*, omniae executioni mandata sunt, quae in Cap. III Ordinationum praescribuntur circa tempus, professores, rationem illum habendi?

6. *Examina* fiuntne latine? adhibeturne de hac re debita severitas?

7. Satisne parati in scientia et usu huius linguae veniunt ex Seminario Minore? Admittunturne *aetate maturiores* sine debita in his studiis humanioribus scientia?

III. DE STUDIO LINGUAE GRAECAE

1. Studio linguae graecae quot anni tribuuntur? quot horae? Absolviturne gram-

matica? Qui Auctores singulis annis? qua mensura? Traditurne sufficiens notitia litterarum graecarum? Suntne sufficienter in hac disciplina parati alumni qui ad altiores disciplinas ascendunt?

2. Peculiaris schola de lingua graeco-biblica habeturne inter studia theologica?

3. Professores suntne debita doctoris laurea donati in litteris classicis?

Relatio fiat de singulis, non perfunctorie, sed debito conscientiae munere, ut remedia, si necesse sit, tempestive et efficaciter adhibeantur.

APPENDIX II

PRAECIPUA SS. PATRUM OPERA

E QUIBUS APTI AD EXPLICANDUM LOCI DESUMI POSSUNT

IN CURSU LATINITATIS CHRISTIANAE²⁷

Finis huius peculiaris cursus non modo est breves SS. Patrum locos vel sententias explicare, quibus theologica suffulciantur argumenta, sed etiam alumnos introducere in intellegentiam et consuetudinem latinitatis christianae.

Opportunum igitur est ut, praeter breves delectos locos Enchiridiorum, quorum vim plenam dabit ipse Theologiae professor, etiam longiora excerpta, explicato **primum** breviter eorum sensu, clare et distincte legantur a latinitatis christianae professore, qui propriam alicuius verbi vel locutionis significationem deteget, obscuriores formas et constructiones illustrabit, paucis significabit proprium cuiusque scriptoris genus dicendi.

Sic auditores ad amorem SS. Patrum excitabuntur; eos adire et legere frequenter, intellegere et sensu suo gustare consuescent; non modo sua studia perficient, sed haurient ex iis amorem veritatis et rationem defendendi catholicam fidem contra cuiusvis generis novitates et corruptelas; discent quo studio, qua intellegentia, scientia, sapientia amplificandus sit religionis profectus in Ecclesia Christi, "ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio", hoc est "ut religionis dogma annis consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatamque permaneat et universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil praeterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem"²⁸.

Quaedam Scriptorum ecclesiasticorum et SS. Patrum opera hic indicantur, e quibus apti ad explicandum legendumque loci desumi possunt; non tamen latinitatis christianae professor prohibetur alia scripta pro opportunitate seligere.

I. THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

ATHENAGORAS, *Supplicatio pro Christianis.*

S. IUSTINUS Martyr, *Apologiae.*

EPISTOLA ad Diognetum (praesertim cc. 5-6).

TERTULLIANUS, *Apologeticus; De praescriptione haereticorum; De Idololatria.*

²⁷ Cfr. *Ordin.*, Cap. III, Art. 1, § 3.

²⁸ Vincentius Lerin., *Commonitorium*, c. 23.

- S. CYPRIANUS, *De catholicae Ecclesiae unitate* (praesertim cap. IV); *Epistolae* (praesertim ad Cornelium Papam).
 LACTANTIUS, *Divinae Institutiones*.
 S. AUGUSTINUS, *De doctrina christiana* (Lib. II-III: De exegesi biblica); *De vera religione*; *De utilitate credendi*; *De consensu Evangelistarum*; *De symbolo ad catechumenos*.
 S. LEO MAGNUS, *Epistolae*.
 VICENTIUS LERINENSIS, *Commonitorium*.

II. THEOLOGIA DOGMATICA

1. *De Deo Uno et Trino.*

- MINUCIUS FELIX, *Octavius*, cap. 14-38.
 TERTULLIANUS, *Adversus Praxean*.
 NOVATIANUS, *De Trinitate*.
 S. HILARIUS Pict., *De Trinitate* (praesertim libri II-III).
 S. BASILIUS, *Tractatus de Spiritu Sancto*.
 S. AMBROSIUS, *De fide*, ad Gratianum; *De Spiritu Sancto*.
 S. AUGUSTINUS, *De Trinitate* (praesertim lib. V).
 S. GREGORIUS NAZIANZ., *Sermones*.
 S. IO. CHRYSOSTOMUS, *De incomprehensibilitate Dei*.
 S. GREGORIUS NYSSENUS, *De Trinitate, ad Eustathium* (agit praesertim de divinitate Spiritus Sancti).

2. *De Deo Creante et Elevante.*

- S. GREGORIUS NYSSENUS, *Liber de hominis opificio*.
 S. AMBROSIUS, *Hexaemeron*; *De Paradiso*.
 S. HIERONYMUS, *Dialogus adversus Pelagianos*.
 S. AUGUSTINUS, *De Genesi contra Manichaeos*; *De Genesi ad litteram*; *De gratia Christi et de peccato originali*.

3. *De Verbo Incarnato.*

- S. IGNATIUS ANTIOCH., *Epist. ad Ephes.*, ad Smyrn.
 TERTULLIANUS, *De carne Christi*.
 S. AMBROSIUS, *De Incarnationis Dominicae sacramento*.
 S. ATHANASIUS, *De Incarnatione Verbi*.
 S. GREGORIUS NYSSENUS, *Oratio magna catechetica* (cap. 10-32).
 S. AUGUSTINUS, *Contra sermonem Arianorum*; *In Ioannis Evangelium tractatus*.
 S. AUGUSTINUS, *Contra sermonem Arianorum*; *In Ioannis Evangelium tractatus*.
 CASSIANUS, *De Incarnatione Christi contra Nestorium*.
 S. GREGORIUS MAGNUS, *Homiliae in Evangelia*.
 S. HIERONYMUS, *Adversus Helvidium de perpetua virginitate B. Mariae*.
 S. HIERONYMUS, *Epistolae*.
 S. LEO MAGNUS, *Sermones*.

4. *De gratia et virtutibus.*

S. HIERONYMUS, *Epistolae*.

S. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio; De fide rerum quae non videntur; De natura et gratia; De gratia Christi et de peccato originali. De gratia et libero arbitrio; De dono perseverantiae; Enchiridion ad Laurentium sive de fide, spe et caritate.*

S. PROSPER AQUITANUS, *De gratia Dei et libero arbitrio liber contra Collatorem.*

S. FULGENTIUS, *De fide ad Petrum liber.*

5. *De Sacramentis.*

TERTULLIANUS, *De Baptismo; De Paenitentia.*

S. CYPRIANUS, *De lapsis.*

S. CYRILLUS JEROSOL., *Catecheses.*

S. AMBROSIUS, *De Paenitentia; De Sacramentis, De Mysteriis*

S. AUGUSTINUS, *De Baptismo.*

S. IO. CHRYSOSTOMUS, *Catecheses ad illuminandos; De Sacerdotio.*

6. *De Novissimis.*

TERTULLIANUS, *De carnis resurrectione; De anima.*

S. CYPRIANUS, *De mortalitate.*

LACTANTIUS, *Divinae Institutiones (liber VII).*

S. AMBROSIUS, *De bono mortis; De Iacob et vita beata.*

S. AUGUSTINUS, *De cura pro mortuis gerenda; De praedestinatione sanctorum; De dono perseverantiae; De Civitate Dei (lib. XXII, de caelesti beatitudine).*

III. THEOLOGIA MORALIS ET PASTORALIS

CLEMENS ALEXANDRINUS, *Paedagogus.*

S. AMBROSIUS, *De officiis; De Virginibus.*

S. AUGUSTINUS, *Contra mendacium; De continentia; De bono coniugali; De moribus; Enchiridion (cap. LXIV-LXX, de peccatis). De catechizandis rudibus; Sermones; Confessiones.*

S. GREGORIUS M., *Moralia in Job; Liber Regulae pastoralis.*